



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Tractatus De Officiis, Electionibus, Dignitatibus, Et  
Beneficiis Ecclesiasticis**

**Coras, Jean de**

**Colonia Agrippina, 1596**

**VD16 C 5049**

Cap. 1. De totius tractatus partitione, & vario beneficio nomine.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63394)

TRACTATUS DE  
OFFICIIS, ELECTIONIBVS,  
DIGNITATIBVS, ET BENEFICIIS,  
ECCLESIASTICIS, D. IO. CORASII  
Tolosatis, Iurisconsulti cla-  
rissimi, pars I.

CAPVT I.

De totius tractatus partitione, & vario  
beneficij nomine.

SVMMARIA.

- 1 Partitio totius tractatus.
- 2 Beneficij multiplex acceptio.
- 3 Beneficium in malam partem.
- 4 Casar quo die interemptus.
- 5 Beneficium pro gratia.
- 6 Beneficium pro Sacerdotio.



Xplicabitur cōmodissimè Benefici-  
orū tractatus † quatuor partitionib. R  
Prior, quid sit Beneficium, quotque  
eius species, Et quæ verbo Beneficij  
veniāt. Tum quibus modis præcipuè  
beneficium vacare dicatur, atque de renuntiatio-  
ne, tam simplici, quàm ex causa permutationis,  
necessaria declarabit. Altero membro, quis Sacer-  
dotiorum conferendorum potestatem habeat, ex-  
ponemus. Tertio, quibus conferri Beneficia pos-  
sint. Quarto quibus modis Beneficia concedan-  
tur. Ut non sit illic obscurum videre, quomodo  
primùm per collationem, deinde per postulati-  
onem, tum per electionem, ac demum per nomi-  
nationem, & mandatum: denique per præsentationem

A

tionem



tionem prouideatur. Imitatus quantū potui Her-  
 mogenia. l. naturali, §. fin. ff. de confir. tut. Qui, si  
 queratur de tutore, an ex inquisitione rectè datus  
 sit, quatuor hæc considerari iubet: an is dederit,  
 qui dare potuit: an ille acceperit, cui fuerat dan-  
 dus: An is datus sit, cuius dandi facultas erat: Et  
 an pro tribunali decretum interpositum sit. Ante  
 omnia tamen † illud præfabimur, beneficiū (quo  
 nomine, placuit canonum authoribus sacerdotia  
 vocare) in iure tam ciuili, quàm pontificio, non  
 vna in significatione accipi. Quandoque enim  
 apud Iureconsultos, lex damni, §. quoties, ff. de  
 dam. infect. l. inter omnes ad prin. ff. de furt. lege-  
 re est beneficium, pro opera, & facto alicuius,  
 † rapto etiam in malam partem vocabulo, locuti-  
 one tamen purissimis linguæ Latinæ authorib⁹,  
 non incognita. Cicero enim lib. epistol. 10. ad  
 Treb. † Trebatium increpans, quòd Idibus Mar-  
 tijs quibus Cæsarem interemptum nemo ne-  
 scit. M. Ant. hominem sceleratissimum, & Remp.  
 post Cæsaris mortem diuexantem, ante fores de-  
 tinuisset: donec Cæsar interficeretur, inquit,  
 Quod verò à te viro optimo, seductus est, tuoq;  
 beneficio adhuc viuit hæc pestis, interdum quod  
 mihi vix fas est, tibi subiraſcor. Receptius tamen  
 † vt beneficium pro gratia exhibita, & merito, be-  
 nefactoq; in alium collocato accipiatur: vt cum  
 Thais meretrix Phædriæ adolescenti dicebat.  
 Terent. in Eunucho.

*Quamobrem Phædria*

*Cupio aliquos parare amicos beneficio meo.*

Et Paul. Iuriscons. l. in commodato, §. sicut, in  
 fin. ff. commod. Gregoriusque Pontifex, c. vnic.  
 in fin. de commoda. adiuuari nos, non decipi be-  
 neficio oportet. Rursus Papi. l. seruus ea lege, ff.  
 de



de ser. expor. beneficio affici hominem hominis interesse dixit. Et Iabol. l. pen. ff. de constit. princ. Beneficium (inquit) quod à diuina principis indulgentia proficiscitur, quàm plenissimè interpretari debemus. Pariter que Bonifac. c. decre. de regul. iur. in 6. Decet concessum (ait) à principe beneficium esse mansurum. Et mox c. indultum, eod. tit. indultum à iure beneficium, nemini est auferendum. Pleni sunt profectò huius generis exemplorum libri, l. 3. ff. de obseq. l. si post mortem, ff. de contra tab. l. in omnibus, 3. ff. de regul. iur. & l. Neratius, eod. tit. vt pluribus immorari superuacaneum ducam. At verò licet tot possint esse beneficij appellationes, quot sunt munera, & gratiæ, à legislatoribus adhibitæ: tamen contracta est quandoq; huius vocabuli significatio: nam in prophanis, beneficium pro Feudo, plerunque usurparunt. c. i. cum similibus, quibus caus. feud. amit. in feud. In sacris verò, & spiritualibus pro t sacerdotio, id que frequentius, & vsitatius, adeò quidem vt iam vulgus nostrum, per Antonomasiam quandam, beneficij nomine, sacerdotia tantummodo intelligat.

## CAP. II.

## Quid sit beneficium.

## SUMMARI A.

- 1 Beneficium quid.
- 2 Beneficium an ius spirituale.
- 3 Simonia in spiritualibus contrahitur.
- 4 Præbenda duplex.
- 5 Laicus procurator in beneficijs.
- 6 Ius patronatus cur habeant laici.
- 7 Ius patronatus, spirituale, & temporale.